


Longè ante Christi tempora, & priusquam Romani Galliam suo dominio subegissent, præfuerunt Galliarum multi priuati, reges & principes, qui non magni fuerunt nominis, quales fuerunt Lugdus, Allobrox, Belgius, Treiber & alij plurimi, vnde priuatæ regiones suas mutuarunt denominationes. fuitq; tunc & aliquot annis post Christum natum ea regio Gallia, & non Francia nuncupata. Assecuti sunt autem Romani dominium in ea ferè centum annis ante Christi natiuitatem, retinueruntq; illud propè quingentis annis. Interea autem temporis dum Sicambri, qui postea Franci dicti sunt, quiq;ue ostia Rheni & circumiacentem agrum possidebant indies crescerent & roborarentur viribus, cœperunt excurrere in finitimam Galliarum regionem, occupare arcès & oppida, atque exturbare Romanos, vt etiam anno Christi 420. Pharamundus vigesimus quartus Francorum Rex, primus fuerit in Gallia Francigenarum rex, atque sub eius filio Clodio, atque nepote Meroueo Sicambri ferè totam adepti fuerint Galliam, relictisq;ue prioribus mansionibus, quas circiter 870 annis tenuerant, migrauerunt in Galliam, potiti eius dominio. Didicerunt quoque Gallorum linguam, quam Romani introduxerant, & cõformes fecerunt moribus eorum sicut & alij Franci qui à fratribus suis secedentes, & pagum Mœni, vbi Herbipolis est hodie, occupantes, didicerunt Germanorum linguam & mores, Pharamundus verò (Warmundt Germanicè) vnanimiter à suis electus in Regem, transtulit sedem suam à Francia Orientali in Fr. Occidentalem, posuitq;ue legem quam Salicam vocant, ne regni successio in eorum transferatur, hoc est ne mulieres regni hæredes fieri permittantur. hunc secuti sunt reliqui reges in hodiernũ vsque diem. Porro quod ad nobilitatem siue equestrem ordinem in Francia, is maximis hodie fruitur commoditatibus ac priuilegijs, eoq;ue fit vt magno quodam affectu Regem complectantur, & vtinam quoque pro ipsius ac patriæ salute profundant, neque enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipsis esse quocunq;ue loco, multaq;ue habent vitæ præsidia, sic vt non sit opus illiberalem aut quæstuariam aliquam artem exercere. Quoad fertilitatem regionis huius, ab antiquis temporibus semper culta, tam in viribus & oppidis quàm agris, hortis & pratis: nullusq;ue à tempore Christi in tota Gallia angulus incultus fuit, præter lacus & nemora quæ culturam non admittunt. præcipuè autem loca Mediterraneo, mari propinqua mira sunt fertilitatis, vt etiam ibi cypressi & rosmarina passim per campos crescunt, iuniperi. Mala punica, granata & citrones nullibi frequentiora sunt quàm in Prouincia. Deinde quàm nobile in illis partibus crescat vinum, imò per totam Galliam, quæ tot irrigatur & sæcundatur annis, dici non potest. quàm ferax sit ager Parisianus, poteris hinc colligere, cum vice quadam rex Ludouicus XI. scire vellet quot armatos viros Lutetia producere posset in agrum, numerati sunt septuaginta millia virorum procedentium ad militiam; vbi igitur multus est populus, necesse est vt sæcundum habeat agrum vnde eis sufficiens suppetat victus. Eum per multas easq;ue amplissimas habeat vrbes Francia, omnium tamen maxima est Lutetia Parisiorum, cuius encomium elegantissimo carmine descripsit Eustachius Knobelsdorpius Prutenus, quod hic subijcere prolixum nimis foret. Architreminus tamen poëta luculenter his panegyricis versibus de ea sic scribit:

*Exoritur tandem locus altera regia Phœbi
Parisius, Cyrræa viris, Chryseæ metallis:
Græca libris, Indæ studijs, Romana poëtis,*



FRANCIAE
accurata descriptio
FRANCIAE RICH
mit sieben vrentzen
1589



*Attica philosophis, mundi rosa, balsamus orbis,
Sidonis ornatu, sua mensis & sua potu,
Diues agris, secunda mero, mansuet a colonis,
Messe ferax, inoperata rubis, nemerosa racemis.
Plena feris, fortis domino, pia regibus, aura
Dulcis amœna situ, bona qualibet, omne venustum,
Omne bonum, si sola bonis fortuna faueret.*

De Normandia quoque scribitur, quod præter metropolitanam & alias sex præcipuas ciuitates, habeat 24. minora oppida, vicos quoque & castella sine numero. Habet rex Gallia Rothomagi in metropolitana Normandia ciuitate senatum doctissimū, prudentissimosq; viros, qui toti prouinciæ ius dicunt. Sunt etiam in ea vrbe potentes mercatores, ob quorum traiectiones & mercaturas, nomen vrbis longè lateque apud multas gentes est cognitum. Habet autem hæc regio copiam piscium & pecorum atque frumenti; sed & pomiferarum arborum tanta est in ea multitudo, vt ex pomis potum faciant, aut pro magna parte in alias deferant terras. In summa, abundant omnibus rebus ad vitam humanam necessarijs, præter vinum quod ibi non crescit.

